



pace de reu le de launc

Amor fidei et de la croix

pro Di

卷之三

卷之三

卷之三

卷之三

Digitized by srujanika@gmail.com

卷之三

卷之三

卷之三

卷之三

1900-1901

卷之六

卷之三



84

31
Liquorice 7 lbs

Vanilla 2 lbs
Syrup 2 lbs

Rer. P. XVIII. Soq. m.
PHÆDRI,

AUGUSTI CÆSARIS

LIBERTI,

FABULARUM

LIBRI QUINQUE,

Nitori pristino restituti, nec non mendis penè
innumeris, cæteras editiones fœdantibus,
expurgati.

a m *A M*
AD USUM COLLEGIORUM.

huc
ad eum



liber

Doguillou



Doguillou
TOLOSAE,

Apud JOSEPHUM ROBERT, Bibliopolam;
propè Forum Regium.

M. DCC. LXXXVII.
CUM PERMISSU.

Certified
out of an
admission to

November 1812

M. Philibey





P H Æ D R I .
F A B U L A R U M
L I B E R P R I M U S .

PROLOGUS.

AESOPUS auctor, quam materiam reperit,
Hanc ego polivi versibus senariis.
Duplex libelli dos est, quod risum movet,
Et quod prudenti vitam consilio monet.
Calumniari si quis autem voluerit,
Quod arbores loquuntur, non tantum fera
Fictis jocari nos meminerit Fabulis.

F A B U L A P R I M A .

Facile est opprimere innocentem.

L U P U S E T A G N U S .

AD rivum eundem Lupus & Agnus venerant,
Siti compulsi : superior stabat Lupus,
Longèque inferior Agnus. Tunc fauce improbab
Latro incitatus jurgii causam intulit.

Aij

P H A E D R I

Cur , inquit , turbulentam fecisti mihi
Aquam bibenti ? Laniger contra timens :
Qui possum , quæso , facere quod quereris , Lupe ?
A te decurrit ad meos haustus liquor.
Repulsus ille veritatis viribus :
Ante hos sex menses , ait , maledixisti mihi.
Respondit Agnus : Evidem natus non eram.
Pater , herculè , tuus , inquit , maledixit mihi ;
Atque ita correptum lacerat injustā nece.

Hæc propter illos scripta est homines Fabula ;
Qui fictis causis innocentēs opprimunt.

F A B U L A I I .

Minima de malis.

R A N Æ R E G E M P O S T U L A N T E S .

A T H E N Æ cùm florérent æquis legibus ,
Procax libertas civitatem miscuit ;
Frænumque solvit pristinum licentia.
Hinc consipratis factionum partibus ,
Arcem Tyrannus occupat Pisistratus.
Cùm tristem servitutem flerent Attici ,
Non quia crudelis ille , sed quoniam grave
Omniò insuétis onus , & cœpissent queri ,
Æsopus talem tunc fabellam retulit.

¶ Ranæ vagantes liberis paludibus ,
Clamore magno Regem petiere à Jove ,
Qui dissolutos mores vi compesceret.
Pater Deorum risit , atque illis dedit
Parvum tigillum , missum quod subito vadis ,
Motu sonoque terruit pavidum genus :
Hoc mersum limo cùm jacéret diutiùs ,
Fortè una tacite profert è stagno caput ,
Et explorato Rege , cunctas evocat.

F A B U L A E , L I B . I .

Illæ , timore posito certatim adnatant ,
 Lignumque supra turba petulans infilis :
 Quod cum inquinassent omni contumeliâ ,
 Alium rogantes Regem misere ad Jovem ,
 Inutilis quoniam esset qui fuerat datus.
 Tum misit illis hydram , qui dente aspero
 Corripere cœpit singulas : frustra necem
 Fugitant inertes ; vocem præcludit metus.
 Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Jovem .
 Afflictis ut succurrat. Tunc contrà Deus :
 Quia noluitis vestrum ferre , inquit , bonum ,
 Malum perferte. Vos quoque , ô cives , ait ,
 Hoc sustinete , majus ne veniat malum.

F A B U L A . I I I .

In propria pelle quiesce.

2 G R A C U L U S S U P E R B U S .

N E gloriari libeat alienis bonis ,
 Suoque potius habitu vitam degere ,
 Æsopus nobis hoc exemplum prodidit ,
 ¶ Tumens inani Graculus superbiâ ,
 Pennas , Pavoni quæ deciderant , sustulit ,
 Seque exornavit ; deinde contemnens suos ,
 Immiscuit se pavonum formoso gregi .
 Illi impudenti pennas eripiunt avi ,
 Fugantque rostris. Male multatus Graculus .
 Redire mœrens cœpit ad proprium genus :
 A quo repulsus tristem sustinuit notam ,
 Tum quidam ex illis , quos prius despicerat .
 Contentus nostris si fuisses sedibus ,
 Et quod natûra dederat voluisse pati ;
 Nec illam expertus essem contumeliam ,
 Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas .

FABULA IV.

Avidum sua sœpè deluidit aviditas.

CANIS NATANS.

AMITTIT merito proprium, qui alienum appetit.

¶ Canis per flumen carnem dum ferret natans,
Lympharum in speculo vidi simulachrum suum,
Aliamque prædam ab alio ferri putans,
Eripere voluit; verum decepta aviditas;
Et, quem tenebat, ore dimisit cibum,
Nec, quem petebat, adeò potuit attingere.

FABULA V.

Potentioris societatem fuge.

VACCA ET CAPELLA, OVIS ET LEO.

VNQUAM est fidelijs cum potente societas,
Testatur hæc fabella propositum meum,

¶ Vacca & Capella, & patiens Ovis injuriæ,
Socij fuere cum Leone in saltibus.

Hi cùm cœpissent Cervum vasti corporis,
Sic est locutus partibus factis Leo:
Ego primam tollo, nominor quia Leo;
Secundam, quia sum fortis, tribuétis mihi:
Tum, quia plus valeo, me sequétur tertia;
Malo adficietur, si quis quartam tetigerit.
Sie totam prædam sola improbitas abstulit.



FABULA VI.

Improborum improba soboles.

RANÆ AD SOLEM.

VICINI furis celebres vidi nuptias
Æsopus, & continuò narrare incipit.

¶ Uxorem quondam Sol cum vellet ducere,
Clamorem Ranæ substulere ad sidera.
Convicio permotus querit Jupiter
Causam querelæ. Quædam tum stagni incola:
Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus,
Cogitque miseras aridâ sede emori:
Quidnam futurum est, si crearit liberos?

FABULA VII.

Stultorum honos inglorius.

VULPES AD PERSONAM TRAGICAM.

PERSONAM tragicam fortè Vulpes viderat:
O quanta species! inquit, cerebrum non habet.

¶ Hoc illis dictum est, quibus honorem & gloriam
Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

FABULA VIII.

Malos tueri haud tutum.

LUPUS ET GRUS.

Qui pretium meriti ab improbis desiderat;
Bis peccat; primum quoniam indignos adjuvat;
Impunè abire deinde, quia jam non potest.

¶ Os devoratum fauce cum hæreret Lupi,
Magno dolore victus cœpit singulos
Ulicere pretio, ut illud extraherent malum.

Tandem persuasa est jurejurando Grus,
 Gulæque credens colli longitudinem,
 Periculosa fecit medicinam Lupo.
 Pro quo cum facto flagitaret præmium:
 Ingrata es, inquit, ore quæ nostro caput
 Incolumē abstuleris; & mercédem postulas?

F A B U L A . I X.

Ne insultes miseris.

P A S S E R E T L E P U S.

SI BI non cavere, & aliis consilium dare,
 Stultum esse, paucis ostendamus versibus.

¶ Oppressum ab Aquila, fletus edentem graves,
 Leporem objurgabat Passer: Ubi pernitas
 Nota, inquit, illa est? Quid ita cessarunt pedes?
 Dum loquitur, ipsum Accipiter nec opinum rapit,
 Questuque vano clamitantem interficit.
 Lepus semianimus mortis in solarium:
 Qui modò securus nostra irridébas mala,
 Simili querelâ fata deploras tua.

F A B U L A . X.

Mendaci ne verum quidem dicenti creditur.

LUPUS ET VULPES, JUDICE SIMIO.

QUICUMQUE turpi fraude semel innotuit;
 Etiam si verum dicit, amittit fidem.
 Hoc attestatur brevis Æsopi fabula.

¶ Lupus arguébat Vulpem furti criminè.
 Negábat illa se esse culpæ proximam.
 Tunc judex inter illos sedet Simius.
 Uterque causam cùm perorassent suam,
 Dixisse fertur Simius sententiam:
 Tu non videris perdidisse quod petis;

FABULÆ, LIB. I.

Te credo subripuisse quod pulchrè negas.

FABULA XI.

Ridicula imbelli virtutis ostentatio.

A SINUS ET LEO VENANTES.

VIRTUTIS expers verbis jactans gloriam
ignotos fallit, notis est derisus.

¶ Venari Afello comite cum vellet Leo,
Contexit illum frutice, & admonuit simul
Ut insuētā voce terreret feras,
Fugientes ipse excipere. Hic auriculas
Clamore subito tollit tollit viribus,
Novoque turbat bestias miraculo:
Quæ dum paventes exitus notos petunt,
Leonis afficiuntur horrendo impetu.
Qui postquam cæde fessus est, asinum evocat;
Jubetque vocem premere: tunc ille insolens:
Qualis videtur tibi opera hæc vocis meæ?
Insignis, inquit; sic ut nisi nossem tuum
Animum, genusque, simili suissem in metu.

FABULA XII.

Utilissimum sæpe quod contemnitur.

CERVUS CORNIBUS IMPEDITUS.

LAUDATIS utiliora, quæ contempseris,
Sæpe inveniri, hæc exerit narratio.

¶ Ad fontem Cervus cum bibisset, restitit;
Et in liquore vidi effigiem suam:
Ibi dum ramosa mirans laudat cornua.
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat,
Venantum subito vocibus conterritus,
Per campum fugere cœpit, & cursu levi

Canes elūsit : silva tum excépit ferum ,
 In qua retentis impeditus cornibus ,
 Lacerari cœpit morsibus fævis Canum.
 Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur :
 O me infelicem ! qui nunc demum intelligo ,
 Ut illa mihi profuerint quæ despexeram ;
 Et quæ laudaram , quantum luctus habuerint.

F A B U L A X I I I .

Laudatōre nihil insidiosius..

V U L P E S E T C O R V U S .

7. Qui se laudari gaudet verbis subdolis ,
 Ferè dat pœnas turpi pœnitentiâ.

5- Cùm de fenestra Corvus raptum caseum
 Comesse vellet , celsâ residens arbore ,
 Hunc vidit Vulpes , de hinc sic occœpit loqui :
 O qui tuarum , Corve , pennarum est nitor !
 Quantum decoris corpore & vultu geris !
 Si vocem haberes , nulla prior ales foret.
 At ille stultus dum vult vocem ostendere ,
 Emisit ore caseum , quem celeriter
 Dolosa Vulpes avidis rapuit dentibus.
 Tum demum ingemuit Corvi deceptus stupor .
 Hac re probatur quantum ingenium valet ,
 Virtute semper prævalet sapientia.

F A B U L A X I V .

Fallax vulgi iudicium.

E X S U T O R E M E D I C U S .

MALUS cum Sutor inopiâ deperditus ,
 Medicinam ignoto facere cœpisset loco ,
 Et venditaret falso antidotum nomine ,
 Verbōlis acquisivit sibi famam strophiis.

FABULÆ, LIB. I.

Hic cùm jaceret morbo confectus gravi ;
Rex urbis , ejus experiendi gratia ,
Scyphum poposcit : fusâ dein simulans aquâ ,
Antidoto miscere illius se toxicum ,
Hoc bibere jussit ipsum , posito præmio .
Timore mortis ille tum confessus est ,
Non artis ullâ Medicum se prudentiâ .
Verùm stupore vulgi factum nobilem .
Rex advocata concione hæc addidit :
Quantæ putatis esse vos dementiæ ,
Qui capita vestra non dubitatis credere ,
Cui calceandos nemo commisit pedes ?
¶ Hoc pertinere verè ad illos dixerim ,
Quorum stultitia quæstus imprudentiæ est .

FABULA XV.

Pauper dominum non sortem mutat.

ASINUS EGREGIÈ CORDATUS.

In principatu commutando , sæpius
Nil præter domini nomen mutant pauperes .
Id esse verum parva hæc fabella indicat .
¶ Asellum in prato timidus pascébat senex :
Is hostium clamore subito territus ,
Suadébat Asino fugere , ne possent capi .
At ille lentus : Quæso , num binas mihi
Clitellas impositûrum victorem putas ?
Senex negávit : ergo quid refert meâ
Cui serviam , clitellas dum portem meas ?

FABULA XVI.

Fidejussorem infidum cave.

CERVUS ET OVIS.

Fraudator nomen cùm locat sponsu int̄
probo ,

Non rem expedire , sed mala videre expetit.

Jovem rogabat Cervus modum tritici ,
Lupo sponsore. At illa præmetiens dolum :
Rapere atque abire semper adsuévit Lupus ;
Tu de conspectu fugere veloci impetu :
Ubi vos requiram , cùm dies advenerit ?

FABULA XVII.

Calumniatorēm sua pœna manet.

OVIS, CANIS ET LUPUS.

SOLEN T mendáces luere pœnas malefici.
JCalumniátor ab Ove cùm peteret Canis
Quem commodasse panem se contenderet ,
Lupus citátus testis , non unum modò
Deberi dixit , verùm affirmávit decem.
Ovis damnáta falso testimonio ,
Quod non debébat , solvit. Post paucos dies
Ovis jacentem in fovea conspexit Lupum :
Hæc , inquit , merces fraudis à Superis datur.

FABULA XVIII.

Omnem aditum malis præcludito.

CANIS PARTURIENS.

HABENT insidias hominis blanditiæ mali ,
Quas ut vitémus , versus subiecti monent.
JCanis parturiens cùm rogasset alteram ,
Ut fœtum in ejus tugurio deponeret ,
Facilè impetrávit : dein reposcenti locum ,
Preces adiuo'it ; tempus exórans breve ,
Dum firmiores catulos posset ducere.
Hoc quoque consumpto , flagitare validius
Cubile cœpit : si mihi & turbæ meæ
Par , inquit , esse potueris , cedam loco.

FABULA XIX.

F A B U L A X I X .

Stultitia plerumque exitio est.

C A N E S F A M E L I G T .

S T U L T U M consilium non modò effectu caret ;
Sed ad perniciem quoque mortales devocat.

J Corium depresso in fluvio vidérunt Canes ;
Id ut comesse extractum possent facilius ,
Aquam cœpere bibere ; sed rupti prius
Perière , quām quod petierant contingérent.

F A B U L A X X .

Miser vel ignovissimo cumque ludibrio est.

L E O S E N I O C O N F E C T U S .

Q U I C U M Q U E amisit dignitatēm pristinam ;
Ignavis etiam jocus est in casu gravi.

J Defectus annis & desertus viribus
Leo , cùm jacéret , spiritum extrémum trahens ;
Aper fulmineis ad eum venit dentibus ,
Et vindicávit iētu veterem injuriam :
Infestis Taurus mox confōdit cornibus
Hostile corpus : Asinus ut vidi ferum
Impūne lædi , calcibus frontem exterit
At ille expirans : Fortes indignè tuli
Mihi insultare ; te , natūræ dedecus ,
Quod ferre cogor , certè bis video mori .

F A B U L A X X I .

*Qui alteri suam ob causam commodat , injuriā postulat
id gratiæ appóni sibi.*

M U S T É L A E T H O M O .

M U S T É L A ab homine prepsa , cùma instantem
necem

P H Æ D R I

Effugere vellet : Quæso , inquit , parcas mihi
Quæ tibi molestis muribus purgo domum.
Respondit ille : Faceres si causâ meâ ,
Gratum esset , & dedissem veniam supplici :
Nunc quia labóras , ut fruâris reliquiis
Quas sunt rosuri , simul & ipsos devores ;
Noli imputare vanum beneficium mihi.
Arque ita locútus , improbam letho dedit.
¶ Hoc in se dictum debent illi agnoscere ;
Quorum priváta servit utilitas sibi ,
Et meritum inâne jactant imprudentibus.

F A B U L A X X I I .

Suspecta malorum beneficia.

C A N I S F I D E L I S .

R E P E N T E liberális stutis gratus est ;
Verùm peritis irritos tendit dolos.
¶ Nocturnus cùm fur panem misisset Cani ,
Objecto tantans an cibo posset capi :
Heus , inquit , linguam vis meam præcludere ,
Ne latrem pro re domini ? Multùm falleris.
Namque ista subita me jubet benignitas
Vigilare , facias ne meâ culpâ lucrum.

F A B U L A X X I I I .

Potentes ne tentes æmulári.

R A N A R U P T A .

I N O P S , potentem dum vult imitári , perit .
¶ In prato quodam Rana conspexit Bovem ;
Et tacta invidiâ tantæ magnitudinis ,
Rugosam inflâvit pellem : tum natos suos
Interrogavit , an Boye esset latior ?

Illi negârunt. Rursus intendit cutem
Majore nisu , & simili quæsivit modo.
Quis major esset ? Illi dixerunt Bovem.
Novissimè indignata , dum vult validius
Inflâre sese , rupto jacuit corpore.

F A B U L A X X I V .

Rete ne tendas Accipitri & Milvio.

C A N I S E T C R O C O D I L U S .

C O N S I L I A qui dant prava cautis hominibus
Et perdunt opèram , & deridentur turpiter.

¶ Canes currentes bibere in Nilo flumine ,
A Crocodilis ne rapiantur , traditum est.
Igitur cùm currens bibere cœpisset Canis ,
Sic Crocodilus : Quamlibet lambe otio ,
Noli vereri. At ille : Facerem , me herculè ;
Nisi esse scirem carnis te cupidum meæ.

F A B U L A X X V .

Par pari referatur.

V U L P E S E T C I C O N I A .

N U L L I nocendum : si quis verò læserit ,
Mulctandum simili jure , fabella admonet.

¶ Vulpes ad cœnam dicitur Ciconiam
Prior invitasse , & illi in patina liquidam
Posuisse sorbitiōnem , quam nullo modo
Gustare esuriens potuerit Ciconia.
Quæ Vulpem cùm revocasset , intrito cibo
Plenam lagénam posuit : huic rostrum inserens
Satiatur , ipsa ; & torquet convivam fame :
Quæ cùm lagénæ frustra collum lamberet ,
Peregrinam sic locútam Volucrem accipimus :
Sua quisque exempla debet æquo animo pati .

FABULA XXVI.

Avárus sibi carnifex est.

CANIS, THESAURUS ET VULTURIUS.

HÆC res aváris esse conveniens potest,
Et qui humiles nati, dici locupletes student.

¶ Humána effodiens ossa, thesaurum Canis
Invénit, & violávit quia manes Deos,
Injeða est illi divitiárum cupiditas,
Poenas ut sanctæ religióni penderet:
Itaque aurum dum custódit, oblitus cibi,
Fame est consumptus; quem stans Vulturius super,
Fertur locútus: ô Canis, meritò jaces,
Qui concupisti subítò regáles opes,
Trivio conceptus, & educárus stercore.

FABULA XXVII.

Ne Magnus tenuem despicio.

VULPES ET AQUILA.

QUAMVIS sublimes debent humiles metuere;
Vindicta docili quia patet solertiæ.

¶ Vulpinos catulos Aquila quondam sustulit,
Nidoque imposuit, pullis ut escam carperént:
Hanc persecuta mater oráre incipit,
Ne tantum miseræ luctum importaret sibi.
Contempñit illa, tuta quippe ipso loco.
Vulpes ab Ara rapuit ardentem facem,
Totam flammis arborem circumdedit,
Hosti dolórem damno miscens sanguinis.
Aquila ut periculo mortis eriperet suos,
Incolunnes natos supplex Vulpi tradidit.

FABULA XXVIII.

Est cui magno constitit diclerium.

MUS ET ELEPHANTUS.

P LERUMQUE stulti, risum dum captant levem,
Gravi distringunt alios contumeliâ,
Et sibi noxiū concitant periculum.

¶ Mus olim Elephanti cum fuisset obvius;
Salve, inquit, frater. Ille indignans repudiat
Officium, & quærit cur sic mentiri velit.
Tum Mus arrestâ caudâ : si similem negas,
Tibi me esse, certè hœc h̄aud multum absimilis
tuæ.

Elephas in illum cum vellet facere impetum,
Repressit iram; & facilis vindicta est mihi;
Sed inquinari nolo ignavo sanguine.

FABULA XXIX.

Mala publica in plebem recidunt.

RANA PRUDENS.

H UMILES labórant, ubi potentes dissident;
¶ Rana in palûde pugnat. Taurorum intuens,
Heu quanta nobis instat pernicies, ait.
Interrogáta ab alia cur hoc diceret,
De principátu cùm illi certárent gregis,
Longeque ab illis degerent vitam Boves?
Statio, ait, separata, ac diversum est genus;
Sed pulsus regno nemoris qui profugerit,
Palûdis in secrēta veniet latibula,
Et proculcátas obteret duro pede:
Caput ita ad nostrum furor illorum pertinet.

FABULA XXX.

Cui fidas, vide.

MILVIUS ET COLUMBAE.

QUI se committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit exitium invenit.

Columbae sæpe cùm fugissent Milvius
Et celeritate pennæ vitassent necem,
Consilium Raptor vertit ad fallaciam
Et genus interme tali decépit dolo :
Quare sollicitum potius ævum ducitis,
Quam Regem me creatis, isto fœdere,
Qui vos ab omni tutas præstem injuriâ?
Illæ credentes, tradunt sese Milvio,
Qui Regnum adeptus cœpit vesci singulas;
Et exercere imperium sœvis unguibus.
De reliquis tunc una: Meritò plectimur.



P H Æ D R I
F A B U L A R U M
L I B E R S E C U N D U S.

P R O L O G U S.

E X E M P L I S continétur Æsópi genus ,
Nec aliud quicquam per Fabellas quæritur ;
Quàm corrigátur error ut mortalium ,
Acuatque sese diligens industria .
Quicumque fuerit ergo narrandi locus ,
Dum capiat aurem , & servet propositum suum ;
Re commendáatur , non auctoris nomine .
Evidem omni curâ morem servábo Senis :
Sed si libuerit aliquid interponere
Dictórum , sensus ut delectet varietas ;
Bonas in partes , Lector , accipias velim .
Sic ista rependet brevitas gratiam ;
Cujus verbosa ne sit commendatio ,
Attende , cur negáre cupidis debeas ;
Modestis etiam offerre , quod non petierint .

F A B U L A P R I M A.

Sunt etiam sua præmia laudi.

L E O E T P R Æ D A T O R.

S U P E R Juvencum stabat dejectum Leo ;
Prædator intervenit , partem postulans :

Darem , inquit , nisi soleres per te sumere ;
 Et improbum rejicit . Forte innoxius
 Viator est deductus in eundem locum ,
 Feroque viso retulit retrò pedem :
 Cui placidus ille : Non est quod timeas , ait ;
 Et , quæ debetur pars tuæ modestiæ ,
 Audacter tolle . Tunc diviso tergore
 Sylvas petivit ; homini ut accessum daret .
 ¶ Exemplum egregium prorsùs & laudabile :
 Verùm est aviditas dives , & pauper pudor .

F A B U L A I I.

Simile simili gaudet.

R E P E N T E . C A L V U S .

A FEMINIS utcumque spoliari viros ,
 Ament , amentur , nempe exemplis discimus .
 ¶ Ætatis mediæ quemdam mulier non rudis
 Tenebat , annos celans elegantiâ ;
 Animosque ejusdem pulchra juvenis cuperat .
 Ambæ vidéri dum volunt illi pares ,
 Capillos homini legere cœpere invicem ;
 Cum se putaret pingi curâ mulierum ,
 Calvus repentiè factus est : nam funditus
 Canos puella , nigras anas evellerat .

F A B U L A I I I .

Impunitas , peccandi illecebra.

H O M O E T C A N I S .

LACERATUS quidam morsu vehementis Canis
 Tinctam crux panem immisit malefico ;
 Audierat esse quod remedium vulneris .
 Tunc sic Æiopus : Noli coram pluribus

FABULÆ, LIB. II.

Hoc facere canibus, ne nos vivos devorent,
Cum scierint esse tale culpæ præmium.

¶ Successus improborum plures allicit.

FABULA IV.

Vir dolosus seges est mali.

AQUILA, FELES, ET APERI

AQUILA in sublimi queru nidum fecerat:
Feles cavernam naœta, in media pepererat:
Sus, nemoris cultrix, foetum ad imam posuerat:
Tum fortuitum Feles contuberium
Fraude & sc. iestâ sic evertit malitiâ.
Ad nidum scendit Volucris: Pernicies, ait,
Tibi parâtur, forsan & miseræ mihi;
Nam fodere terram quodd vides quotidiè
Aprum insidiósum; quercum vult evertere,
Ut nostram in plano facile progeniem opprimat:
Terrore effuso, & perturbatis sensibus,
Dirépit ad cubile setosæ suis:
Magno, inquit, in periculo sunt nati tuî;
Nam simul exieris pastum cum tenero grege;
Aquila est parata rapere porcellos tibi.
Hunc quoque timore postquam complévit locum,
Dolosa tuto condidit sese cavo.
Inde evagata noctu suspenso pede,
Ubi escâ se replévit & prolem suam,
Pavorem simulans, proprieit toto die.
Ruina metuens, Aquila ramis desidet:
Aper rapinam vitans, non prodit foras.
Quid multa? Inediâ sunt consumpti cum suis,
Felique, & catulis largam præbuérunt dapem.

¶ Quantum homo bilinguis sœpè concinnet
mali,

Documentum habere stulta credulitas potest.

FABULA V.

Ne quid nimis.

CÆSAR AD ATRIENSEM.

EST Ardelionum quædam Romæ natio,
Trepidè concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo, nihil agens,
Sibi molesta, & aliis odiosissima.
Hanc emendare, si tamen possim, volo,
Verâ fabellâ; pretium est operæ attendere.

¶ Cæsar Tiberius, cum petens Neapolim,
In Miseneensem villam venisset suam,
Quæ monte summo posita Luculli menu,
Prospectat Siculum, & prospicit Tuscum mare,
Ex altis inctis unus Atriensisibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat desticta, cirris dependentibus,
Perambulante læta Domino viridia,
Alveolo cœpit ligneo conspergere
Humum æstuantem, come officium jactans:
Sed deridetur. Inde notis flexibus
Præcurrit alium in xistum, sedans pulverem.
Agnoscit hominem Cæsar, remque intelligit
Id ut putavit esse nescio quid boni:
Heus, inquit Dominus: ille enim verò adsilit
Donatiōnis alacer certæ gaudio.
Tunc sic jocata est tanti majestas ducis;
Non multum egisti, & opera nequicquam peri;
Multò majoris, alapæ mecum veneunt.



FABULA VI.

Potentiam malitiâ adjutam quis effugiat.

AQUILA, CORNIX ET TESTUDO.

CONTRA potentes nemo est munitus satis,
Si verò accessit consiliator maleficus,
Vis & nequitia quidquid oppugnant, ruit.

Aquila in sublime sustulit Testudinem;
Quæ, cum abdidisset corneā corpus domo,
Nec ullo pæsto lædi posset condita,
Venit per auras Cornix, & propter volans;
Optimam sanè prædam rapuisti unguibus;
Sed nisi monstrâro quid sit faciendum tibi,
Gravi nequicquam te lassabis pondere.
Promissâ parte, suadet ut scopulum super
Altis ab astris duram illidat corticem,
Quâ comminutâ facilè vescatur cibo.
Inducta verbis Aquila monitis paruit,
Simul & magistræ largè divisit dapem.
Sic tuta quæ naturæ fuerat munere,
Impar duabus occidit tristi nece.

FABULA VII.

Plura timenda divitibus.

MULI ET LATRONES.

MULI gravati sarcinis ibant duo;
Unus ferebat fiscos cum pecunia,
Alter tumentes multo faccos hordeo.
Ille onere dives, celsâ cervice eminens;
Clarumque collo jaētans tintinnabulum,
Comes quieto sequitur, & placido gradus
Subito latrones ex insidiis advolant,

§-

Interque cædem ferro Mulum sauciant;
 Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum;
 Spoliatus igitur casus cùm fleret suos:
 Evidem, inquit alter, me contemptum gaudeo
 Nam nil amisi, nec sum læsus vulnere.

¶ Hoc argumento tuta est hominum tenuitas.
 Magnæ periculo sunt opes obnoxiæ.

FABULA VIII.

CERVUS ET BOVES.

CERVUS nemorosis excitatus latibulis,
 Ut venatorum fugeret instantem necem,
 Cæco timore proximam villam petit,
 Et opportuno se bovili condidit.
 Hic bos latenti: Quidnam voluisti tibi,
 Infelix, ultrò qui ad necem cucurreris,
 Hominumque teō spiritum commiseris?
 At ille supplex: Vos modò, inquit, parcite:
 Occasione rursus erumpam datâ.
 Spatium diēi noctis excipiunt vices;
 Frondem Bubulus affert, nec ideò videt:
 Eunt subindè & redeunt omnes Rustici:
 Nemo animadvertis: transit etiam Villicus;
 Nec ille quicquam sentit. Tum gaudens ferus
 Bobus quietis agere cœpit gratias,
 Hospitium adverso quod præstiterint tempore.
 Respondit unus: Salvum te cupimus quidem;
 Sed ille qui oculos centum habet, si venerit,
 Magno in periculo vita vertetur tua.
 Hæc inter, ipse Dominus à cœna redit:
 Et quia corruptos viderat nuper Boves,
 Accedit ad præsepe: Cur frondis parum est?
 Stramenta de sunt? Tollere hæc arenea
 Quantum esset laboris? Dum scrutatur singula,

Cervi

Cervi quoque alta est conspicatus cornua,
 Quem convocatæ jubet occidi familiâ,
 Præda inque tollit. ¶ Hæc significat fabula,
 Dominum videre plurimum in rebus suis.

FABULA IX.

Epilogus.

INVIDIA VIRTUTUM COMES.

ÆSOPO ingentem Statuam posuere Attici;
 Servumque collocarunt æternâ in basi,
 Patere honoris scirent ut cuncti viam,
 Nec generi tribui, sed virtuti gloriam.
 Quoniam occuparat alter, ne primus forem
 Ne solus esset, studui, quod superfut:
 Nec hæc invidia, verum est æmulatio.
 Quod si labori faverit Latium meo,
 Plures habebit quos oppónat Græciæ.
 Si livor obtrectare curam voluerit,
 Non tamen eripiet laudis conscientiam.
 Si nostrum studium ad aures pervenit tuas,
 Et arte fictas animus sentit fabulas,
 Omnem querelam submovet felicitas.
 Sin autem doctus illis occurrit labor,
 Sinistra quos in lucem natura extulit,
 Nec quidquam possunt, nisi meliores carpere,
 Fatale exitium corde durato feram,
 Donec fortunam criminis pudeat sui.



P H E D R I
F A B U L A R U M
L I B E R T E R T I U S.

P H Æ D R U S A D E U T I C H U M .

PHÆDRUS libellos legere si desideras,
 Vaces oportet, Eutiche, à negotiis:
 Ut liber animus sentiat vim carminis.
 Verum, inquis, tanti non est ingenium tuum,
 Momentum ut horæ pereat officii mei.
 Non ergo causa est manibus id tangi tuis;
 Quod occupatis auribus non convenit.
 Fortasse dices: aliquæ venient feriæ,
 Quæ me solito pectore ad studium vocent.
 Legesne, quæso, potius viles nærias,
 Impendas curam quam rei domesticæ,
 Reddas amicis tempora, uxori vaces,
 Animum relaxes, otium des corpori,
 Ut adsuétam fortiùs præstes vicem?
 Mutandum tibi propositum est, & vitæ genus,
 Intrare si Musarum limen cogitas.

Ego quem Pierio mater enixa est jugo,
 In quo tonanti sancta Mnemosyne Jovi,
 Fœcunda novies artium peperit chorum,
 Quamvis in ipsa natus sim penè schola,
 Curamque habendi penitus corde eraserim;

Et laude invitâ in hanc vitam incubuerim ,
 Fastidiósè tamen in cœtum recipior.
 Quid credis illi accidere , qui magnas opes
 Exageráre quærit omni vigiliâ ,
 Docto labóri dulce præpónens lucrum ?
 Sed jam quodcumque fuerit , (ut dixit Sinon ,
 Ad regem cùm Dardaniæ perductus foret)
 Librum exarábo tertium Æsópi stylo ,
 Honóri & meritis dedicans illum tuis ;
 Quem si leges , lætábor ; sin autem minus ,
 Habébunt certè quo se oblectent posteri.

Nunc fabulárum cur sit inventum genus
 Brevi docébo. Servitus obnoxia
 Quia , quæ volébat , non audébat dicere ,
 Affectus proprios in fabellas transtulit ,
 Calumniamque fíclis elúxit jocis.
 Ego porrò illius semitâ feci viam ,
 Et cogitávi plura quam reliquerat :
 In calamitátem deligens quædam meam .
 Quòd si accusátor aliis Sejáno foret ,
 Si testis aliis , judex aliis denique ,
 Dignum fatérer esse me tantis malis ,
 Nec his dolórem delinírem remediis.

Suspicione si quis errábit suâ ,
 Et rapiet ad se quod erit commûne omnium ,
 Stulte nudábit animi conscientiam :
 Huic excusátum me velim nihilominus.
 Neque enim notáre singulos mens est mihi ,
 Verùm ipsam vitam & mores hominum ostendere.

Rem me professum dicet forsan aliquis gravem .
 Si Phrix Æsópus potuit , Anacharsis Scytha
 Æternam famam condere ingenio suo :
 Ego litterátæ qui sum propior Græciæ ,
 Cur somno inertí deseram patriæ decus ?
 Threiffa cùm gens numeret Auctores suos ,

Linoque Appollo sit parens , Musa Orpheo ;
 Qui faxa cantu movit , & domuit feras ,
 Hebrique tenuit impetus dulci morâ.
 Ergo hinc abesto livor , ne frustra gemas ;
 Quoniam mihi solemnis debetur gloria.
 Induxi te ad legendum ; sincerum mihi
 Candore noto reddas judicium , peto.

F A B U L A P R I M A.

Rei bonæ vel vestigia deleclant.

A N U S A D A M P H O R A M.

A N U S jacere vidit epotam amphoram ,
 Adhuc Falernâ fæce & testâ nobili ,
 Odorem quæ jucundum latè spargeret.
 Hunc postquam totis avida traxit naribus :
 O suavis anima , qualem te dicam bonam
~~Annehæc frusse tales cum sint reliquiae!~~
 Hoc quo pertineat dicet qui me noverit.

F A B U L A I I.

Beneficio benè erit.

P A N T H E R A E T P A S T O R E S.

S OLET à despectis par referri gratia.
 Panthéra imprudens olim in foveam decidit .
 Videre Agrestes : alii fustes congerunt :
 Alii onerant faxis : quidam contrâ miseriti ,
 Perituræ quippe , quamvis nemo laderet ,
 Misere panem , ut sustinéret spiritum .
 Nox infecuta est : abeunt securi domum ,
 Quasi inventuri mortuam postridiè .
 At illa vires ut refécit languidas ,
 Velozi saltu foveâ sese liberat ,

Et in cubile concito properat gradu.
 Paucis diebus interpositis, provolat;
 Pecus trucidat, ipsos Pastores necat;
 Et cuncta vastans fævit irato impetu.
 Tum sibi timentes, qui Feræ pepercerant,
 Damnum haud recusant, tantum pro vita rogant.
 Et illa: Memini, qui me faxo petierint,
 Qui panem dederint: vos timere absistite:
 Illis revertor hostis, qui me læserant.

FABULA III.

Experientia præstantior arte.

ÆSOPUS ET RUSTICUS.

Usu peritus hariolo velocior
 Vulgo esse fertur; causa sed non dicitur;
 Notescit quæ nunc primùm fabellâ meâ.
 Habenti cuídam pecora peperérunt Oves
 Agnos informi capite. Monstro exterritus,
 Ad consulendos currit mœrens hariolos.
 Hic pertinére ad domini respondit caput;
 Et avertendum viëtimâ periculum.
 Ille autem affirmat aliud portendi malum;
 Et infelices significâri liberos;
 Sed expiari posse majóri hostiâ.
 Quid multa? Variis dissident sententiis,
 Hominisque curam curâ majóri aggravant.
 Æsopus ibi stans, naris emunctæ senex,
 Natura nunquam verba cui potuit dare:
 Si procurâre vis ostentum, Rustice,
 Quod æquum est, inquit, da tuis Pastoribus.



FABULA IV.

Mentem hominis spectatio non frontem.

SIMILI CAPUT.

PENDERE ad lanium quidam vidit Simium
Inter reliquas merces atque obsonia.
Quæsivit quidnam saperet. Tum lanus jocans:
Quale, inquit, caput est, talis præstatur sapor.
¶ Ridiculè magis hoc dictum quam verè aestimo:
Quando & formosos sæpè inveni pessimos,
Et turpi facie multos cognovi optimos.

FABULA V.

Erit ubi pœnas det procax audacia.

ÆSOPUS ET PETULANS.

SUCCESSUS ad perniciem multos devocat:
¶ Æsopo quidam petulans lapidem impegerat:
Tantò, inquit melior; assēm deinde illi dedit,
Sic prosecutus: Plus non habeo, me herculè,
Sed undè accipere possis monstrabo tibi:
Venit ecce dives & potens: huic similiter
Impinge lapidem, & dignum accipies præmium.
Persuásus ille fecit quod monitus fuit.
Sed spes fefellit impudentem audaciam:
Comprehensus namque pœnas persolvit cruce.

FABULA VI.

Ridendo imbecillorum superbiloquentia,

MUSCA ET MULA.

MUSCA in temone sedit, & Mulam increpans:
Quam tarda es! inquit: non vis citius progredi?

FABULÆ, LIB. III. 31

Vide ne dolone collum compungam tibi.
Respondit illa: Verbis non moveor tuis ;
Sed istum timeo , sella qui primâ sedens ,
Jugum flagello temperat lento meum ,
Et lora frænis continet spumantibus.
Quapropter aufer frivolam insolentiam ;
Namque ubi strigandum est , & ubi currendum
scio.

¶ Hâc deridéri fabulâ meritò potest ,
Qui sine virtute vanas exercent minas.

FABULA VII.

Liber inops servo divite felicior.

CANIS ET LUPUS.

QUAM dulcis sit libertas , breviter proloquar .
¶ Cani perpasto , macie confectus Lupus
Fortè occurrit. Salutantes dein invicem ,
Ut restiterunt : undè sic , quæso , nites ,
Aut quo cibo fecisti tantum corporis ?
Ego , qui sum longè fortior , pereo fame .
Canis simpliciter : Eadem est conditio tibi ,
Præstare domino si par officium potes .
Quod inquit , ille ? Custos ut sis liminis ,
A furibus tuearis & noctu domum .
Ego verò sum paratus ; nunc enim patior nives
Imbresque , in sylvis asperam vitam trahens :
Quântò est facilius mihi sub tecto vivere ,
Et otiosum largo satiati cibo !
Veni ergo mecum . Dum procédunt , aspicit
Lupus à catena collum detritum Canis .
Undè hoc , amice ? Nihil est . Dic , quæso , tamen ,
Quia videor acer , alligant me interdiu ,
Luce ut quiescam , & vigilem , nox cum venerit ;
Crepusculo solitus , quâ visum est , vagor .

Adfertur ultrò panis, de mensa sua
 Dat ossa dominus; frusta dat familia;
 Et quod fastidit quisque pulmentarium:
 Sic sine labore venter implétur meus.
 Age, si quò abire est animus, est licentia?
 Non planè est, inquit. Fruére, quæ laudas, Canis;
 Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

FABULA VIII.

Sat pulcher, qui sat bonus.

FRATER ET SOROR.

PRÆCEPTO monitus sœpe te considera.
 ¶ Habébat quidam filiam turpissimam,
 Idemque insigni & pulchrâ facie filium.
 Hi speculum in cathedra matris ut positum fuit,
 Pueriliter ludentes, fortè inspexerant.
 Hic se formosum jaëtat: illa irascitur,
 Nec gloriantis sustinet fratris jocos;
 Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam,
 Ergo ad patrem cucurrit læsura invicem,
 Magnâque invidiâ criminatur filium,
 Vir natus, quod rem fœminarum tetigerit.
 Amplexus utrumque ille, & carpens oscula;
 Dulcemque in ambos charitatem partiens
 Quotidiè, inquit, speculo vos uti volo,
 Tu, formam ne corrompas nequitiae malis;
 Tu, faciem ut istam moribus vincas bonis.

FABULA IX.

Fidélem ubi invenias amicum?

SOCRATIS DICTUM.

VULGARE amici nomen, sed rara est fides.
 ¶ Cum parvas ædes sibi fundasset Socrates,

(Cujus non fugio mortem , si famam adsquar ,
 Et cedo invidiæ , dummodo absolvat cinis)
 È populo sic nescio quis , ut fieri solet :
 Quæso , tam angustam talis vir ponis domum ?
 Utinam , inquit , veris hanc amicis impleam !

F A B U L A X.

Ne sis credulus , maximè criminatóri.

R E S G E S T A S U B A U G U S T O .

P E R I C U L O S U M est credere & non credere ,
 Utriusque exemplum breviter exponam rei.
 Hippolytus obiit , quia novercæ creditum est :
 Cassandrae quia non creditum , ruit Ilium.
 Ergò exploranuā cū veritas multūm priùs ,
 Quām stulta pravè judicet sententia.
 Sed fabulosa ne vetuitate elevem .
 Narrabo tibi memoriā quod factum est mēā.

¶ Maritus quidam cūm diligeret conjugem ,
 Togamque puram jam parāret filio ,
 Seductus int̄ secrētum à liberto suo ,
 Sperante hærēdem suffici se proximum ;
 Qui dum de puerō multa mentitus foret ,
 Et plura de flagitiis castæ mulieris ,
 Adjecit id , quod sentiébat maximè
 Dolitūrum amanti ; ventitare clam virum ;
 Quoniam ipsa famam , & bona domūs deperderet .
 Incensus ille falso uxoris crimine ,
 Simulavit iter ad villam , clamque in oppido
 Subsedit : deinde noctu subito januam
 Intravit , recta cubiculum uxoris petens ,
 In quo dormire natum jussérat ,
 Etatēm adultam servans diligenter .
 Dum quærunt lumen , dum concursat familia .
 Iræ furentis impetum non sustinens ,

Accédit , atque tentat in tenebris caput.
 Ut sentit tonsum , gladio pectus trafigit ,
 Nihil respiciens , dum dolorem vindicet.
 Lucernâ allátâ , simul aspexit filium ,
 Sanctamque uxorem dormientem cubiculo ,
 Sopita primo quæ nil somno senferat ;
 Repræsentavit in se pœnam facinoris ,
 Et ferro incubuit , quod credulitas strinxerat
 Accusatōres postulárunt mulierem ,
 Romamque pertraxerunt ad Centumviros .
 Maligna insontem deprimit suspicio ,
 Quòd bona possideat. Stant Patrōni fortiter ,
 Causam tuentes innocentis fœminæ ,
 A divo Augusto tunc petiēre Judices
 Ut adjuváret jurisjurandi fidem ,
 Quòd ipsos error implicuisset criminis .
 Qui postquām tenebras dispulit calumniæ ,
 Certumque fontem veritatis repperit :
 Luat , inquit , pœnas cauta libertus mali .
 Namque orbam nato simul & privátam viro ;
 Misericordiam potius quām damnandam existimo .
 Quod si delata perscrutatus criminis
 Paterfamilias esset , si mendacium
 Subtiliter limasset à radicibus ,
 Non evertisset scelere funesto domum .

¶ Nil sperrat auris , nec tamen credat statim ,
 Quandoquidem & illi peccant , quos minimè
 putes ;
 Et qui non peccant , impugnantur fraudibus .
 Hoc admonére simplices etiam potest ,
 Opiniōne alterius ne quid ponderent :
 Ambitio namque dissidens mortalium ,
 Aut gratiæ subscribit , aut odio suo .
 Erit ille notus , quem per te cognoveris .

¶ Hæc exsecūtus sum proprièreà pluribus ,
 Brevitāte nimiā quoniam quosdam offendimus .

FABULA XI.

Ut quemque Deus vult esse, ita est.

CLAUDUS AD IMPROBUM.

CUM quodam litigabat claudus improbo.
Qui super obsecna dicta & petulans jurgium ;
Damnum infectatus est invalidi corporis :
En , ait , hoc unum est , cur laborem validius ,
Te persequendi quia copia desit mihi .
Sed quid fortunæ , stulte , delictum arguis ?
¶ Idem & homini turpe , quod meruit pati .

FABULA XII.

Optima fæpe despœta.

MARGARITA IN STERQUILINIO.

IN sterquilinio Pullus gallinaceus ,
Dum querit escam , margaritam repperit :
Jaces indigno quanta res , inquit , loco !
O si quis pretii cupidus vidisset tui ,
Olim rediſses ad splendorem maximum !
Ego , qui te inveni , potior cui multò est cibus ;
Nec tibi prodeſſe , nec mihi quicquam potes .
¶ Hoc illis narro qui me non intelligunt .

FABULA XIII.

Opus artificem probat.

APES ET FUCI , VESPA JUDICE.

APES in alta queru fecerant favos ,
Hos Fuci inertes esse dicébant suos .
Lis ad forum deducta est , Vespa judice ;

Quæ genus utrumque nosset cùm pulcherrime
Legem duábus hanc proposuit partibus :
Non inconveniens corpus , & par est color,
In dubium planè res ut meritò venerit :
Sed ne religio peccet imprudens mea ,
Alveos accipite , & ceris opus infundite ,
Ut ex sapore mellis & formâ favi ,
De queis nunc agitur , auctor horum appareat.
Fuci recúsant ; Apibus conditio placet.
Tunc illa talem sustulit sententiam :
Apertum est quis non possit , aut quis fecerit ;
Quapropter Apibus fructum restituo suum.
¶ Hanc præterissim fabulam silentio ,
Si pætam Fuci non recusassent fidem.

FABULA XIV.

Otiare , quod labores.

ÆSOPUS LUDENS NUCIBUS.

PUERORUM in turba quidam ludentem Atticus
Æsopum nucibus cùm vidisset , restitit ,
Et quasi delírum risit . Quod sensit simul
Derisor potius quam deridendus senex ,
Arcum retensem posuit in mediâ viâ :
Heus , inquit , sapiens , expedi quid fecerim ?
Concurrit populus : ille se torquet diu ,
Nec quæstionis positæ causam intelligit ;
Novissimè succumbit . Tum victor sophus :
Citò rumpes arcum , semper si tensum habueris ;
At si laxaris , cùm voles erit utilis
¶ Sic Iusus animo debet aliquando dari ,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.



FABULA XV.

Qui educat, pater magis, quam qui genuit.

AGNUS A CAPELLA NUTRITUS.

INTER Capellas Agno balanti Canis,
Stulte, inquit, erras, non est hæc mater tua;
Ovesque segregatas ostendit procul.
Non illam quæro, quæ cùm libitum est, concipit,
Dein portat onus ignotum certis mensibus,
Novissimè prolapsam effundit sarcinam;
Verum illam quæ nutrit admoto ubere,
Fraudatque natos lacte, ne desit mihi.
Tamen illa est potior, quæ te peperit. Non ita est.
Unde illa scivit niger an albus nascerer?
Age porrò scisset; cùm crearer masculus,
Beneficium magnum sanè natali dedit,
Ut exspectarem Lanum in horas singulas.
Cujus potestas nulla in gignendo fuit,
Cur hæc sit potior, quæ jacentis miserita est,
Dulcemque sponte præbet benevolentiam?
Facit parentes bonitas, non necessitas.

¶ His demonstrare voluit Auctor versibus,
Obsistere homines legibus, meritis capi.

FABULA XVI.

Humanitas, & gravior, & tutior.

CICADA ET NOCTUA.

HUMANITATI qui se non accommodat,
Plerumque poenas oppedit superbiæ.

¶ Cicada acerbum Noctuæ convicium
Faciébat, solitæ victum in tenebris quærere,
Cavóque ramo capere somnum interdiu,

D.

Rogáta est ut tacéret ; multó validius
 Clamare cœpit. Rursus admota prece ,
 Accensa magis est. Noctua , ut vidi tibi
 Nullum esse auxilium , & verba contemni sua ,
 Hâc est adgressa garrulam fallaciâ :
 Dormire quia me non sinunt cantus tui ,
 Sonare citharâ quos putas Appollinis ,
 Potare est animus nectar , quod Pallas mihi
 Nuper donavit : si non fastidis , veni ;
 Unâ bibâmus. Illa , quæ ardébat siti ,
 Simul cognovit vocem laudâri suam ,
 Cupidè advolavit. Noctua egressa è cavo ,
 Trepidantem consecrata est , & letho dedit.
 Sic viva quod negârat , tribuit mortua.

FABULA XVII.

Fruſtu, non foliis arborem existima.

ARBORES IN DEORUM TUTELA.

OLIM quas vellent esse in tutela sua ,
 Divi legérunt arbores. Quercus Jovi ,
 Et Myrtus Veneri placuit , Phœbo Laurea ;
 Pinus Cibélæ , Populus celsa Herculi.
 Minerva admirans , quare steriles sumerent ;
 Interrogavit. Causam dixit Jupiter :
 Honore fructum ne videámur vendere.
 At , me herculè , narrabit quod quis voluerit ;
 Oliva nobis propter fructum est gratiôr.
 Tunc sic Deorum genitor atque hominum fator :
 O nata , meritò sapiens dicere omnibus.
 Nisi utile est quod facimus , stulta est gloria.
 Nihil agere quod non proſit , Fabellæ admonet.



FABULA XVIII.

Tuis contentus, ne concupiscas aliena.

PAVO AD JUNONEM.

PAVO ad Junonem venit, indignè ferens
 Cantus Lusciniæ quod sibi non tribuerit,
 Illum esse cunctis Avibus admirabilem,
 Se deridéri simul ac vocem miserit.
 Tunc consolandi gratiâ, dixit Dea:
 Sed formâ vincis, vincis magnitudine;
 Nitor smaragdi collo præfulget tuo,
 Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.
 Quò mi, inquit, tanta species, si vincor sono?
 Fatôrum arbitrio partes sunt vobis datæ,
 Tibi forma, vires Aquilæ, Lusciniæ melos,
 Augurium Corvo, læva Cornici omina,
 Omnesque propriis sunt contentæ dotibus.
 ¶ Noli adfectare quod tibi non est datum;
 Delusa ne spes ad querelam recidat.

FABULA XIX.

Multi homines momine, non re.

ÆSOPUS AD GARRULUM.

ÆSOPUS domino solus cùm esset familia,
 Parare cœnam jussus est maturius.
 Ignem ergo quærens, aliquot lustravit domos;
 Tandemque invénit, ubi lucernam accenderet.
 Cum circumveunti fuerat quod iter longius,
 Effecit brevius: namque recta per forum
 Cœpit redire; & quidam è turba garrulus:
 Æsope, medio sole quid cum lumine?
 Hominem quæro, inquit; & abit festinans do-
 -mum.

Dij

Hoc si molestus ille ad animum retulit;
Sensit prosector se hominem non visum seni,
Intempestivè qui occupato adluserit.

F A B U L A X X.

Miserrimus, qui in vita miser, post mortem miserior.

A S I N U S E T G A L L I.

Qui natus est infelix non vitam modò
Tristem decurrit, verùm post obitum quoque
Persequitur illum durā fāti miseria..

Galli Cybēles circum quæstus ducere
Asinum solébant, bajulantem sarcinas.
Is, cùm labore & plagis esset mortuus,
Detractâ pelle, sibi fecerunt tympana.
Rogati mox, à quodam: delicio suo
Quidnam fecissent? Hoc locuti sunt modo:
Putabat se post mortem secūrum fore;
Ecce aliæ plagæ congeruntur mortuo.



P H Æ D R I
F A B U L A R U M
L I B E R Q U A R T U S.

PROLOGUS.

JO C U L A R E tibi videtur , & sanè levi ,
Dum nihil habémus majus , calamo ludimus .
Sed diligenter intuére has nærias ,
Quantam sub illis utilitatem reperies ?
Non semper sunt , quæ videntur ; decipit
Frons prima multos : rara mens intelligit
Quod interiore condidit cura angulo .
Hoc ne locútus sine mercede existimer ,
Fabellam adjiciam Mustélā & Muribus .

F A B U L A P R I M A.

Astutus , astu non capitur.

M U S T É L A E T M U R E S .

MU S T É L A cùm , annis & senectâ debilis ,
Mures velóces non valéret adsequi ,
Involvit se farinâ , & obscûro loco
Abjécit negligenter Mus escam putans ,
Adsiluit ; at compressus , occubuit neci :
Alter , similiter : deinde periit tertius .
Aliquot secútis , venit & retorridus ,

Dijj

Qui sæpè laqueos & muscipulam effugerat;
Proculque insidias cernens hostis callidi:
Sic valeas, inquit, ut farina es quæ jaces.

FABULA I.

Spernit superbus quæ nequit affequi.

VULPES ET UV A.

FAME coacta Vulpes, altâ in vineâ
Uvam adpetébat, summis saliens viribus:
Quam tangere ut non potuit, discédens ait:
Nondum matûra est, nolo acerbam sumere.

¶ Qui facere quæ non possunt, verbis elevant;
Adscribere hoc debébunt exemplum sibi.

FABULA II.

Vindictæ cupidus, sibi malum accersit.

EQUUS ET APER.

EQUUS fedare solitus quo fuerat sitim;
Dum sese Aper volútat, turbávit vadum.
Hinc orta lis est. Sonipes irátus Fero,
Auxilium petiit hominis, quem dorso levans
Rediit ad hostem. Jactis hunc telis eques
Postquam interfécit, sic locútus traditur:
Lætor tulisse auxilium me precibus tuis,
Nam prædam cœpi, & didisci quam sis utilis.
Atque ita coëgit frænos invitum pati.
Tùm moestus ille: Parvæ vindictam rei
Dùm quæro demens, servitùtem reperi.

¶ Hæc iracundos admonébit fabula,
Impùne potius lædi, quam dedi alteri.

FABULA IV.

Homines non numerandi, sed ponderandi.

ÆSOPUS INTERPRESTESTAMENTI.

PLU's esse in uno sæpè, quām in turbâ, boni;
Narratione posteris tradam brevi.

¶ Quidam decédens tres reliquit filias,
Unam formosam, & oculis venantem viros:
At alteram lanificam, & frugi, & rusticam:
Devótam vino tertiam, & turpissimam.
Harum autem matrem fecit hærédem senex,
Sub conditione, totam ut fortunam tribus
Æqualiter distribuat; sed tali modo,
Ne data possideant aut fruantur: tum, simul
Habére res desierint quas acceperint,
Centéna matri conferant festertia.
Athénas rumor implet: mater sedula.
Jurispéritos consulit: nemo expedit,
Quo pacto non possideant, quod fuerit datum;
Fructumve capiant; deinde, quæ tulerint nihil,
Quānam ratione conferant pecuniam.
Postquam consumpta est temporis longi mora;
Nec testamenti potuit sensus colligi,
Fidem advocavit, jure neglecto, parens.
Sepónit mœchæ vestem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam, Eunuchos glabros.
Lanifícæ, agellos, pecora, villam, operarios,
Boves, jumenta, & instrumentum rusticum.
Potríci, plenam antiquis apothæcam cadis,
Domum politam, & delicátos hortulos.
Sic destinata, dare cùm vellet singulis;
Et approbáret populus, qui illas noverat;
Æsopus mediâ subito in turbâ constituit:
O, si maneret condito sensus patri.

Quām graviter ferret , quod voluntātem suam
 Interpretāri non potuissent Attici !
 Rogátus deinde , solvit errórem omnium.
 Domum & ornamenta , cum venustis hortulis ,
 Et vina vetera date Lanificæ rusticæ :
 Vestem , uniones , pedissequos , & cætera ,
 Illi adsignāte , vitam quæ luxu trahit :
 Agros , vites , & pecora cum Pastoribus
 Donāte mœchæ . Nulla poterit perpeti ,
 Ut moribus quid teneat aliénum suis.
 Deformis cultum vendet , ut vinum paret :
 Agros abjicit mœcha , ut ornatum paret.
 At illa gaudens pecore , & lanæ dedita ,
 Quâcumque summâ tradet luxuriæ domum.
 Sic nulla possidébit , quod fuerit datum ;
 Et dictam matri conferent pecuniam ,
 Ex pretio rerum quas vendiderint singulæ.
 ¶ Ita quod multorum fugit imprudentiam ,
 Unius hominis repperit solertia.

F A B U L A . V.

Feriunt summas fulmina montes.

PUGNA MURIUM ET MUSTELARUM.

CUM vieti Mures Mustelarum exercitu ,
 (Historia quorum in tabernas pingitur)
 Fugerent , & arctos circùm trepidarent cavos
 Ægrè recepti , tamen evaserunt necem.
 Duces eorum , qui capitibus cornua
 Suis ligârunt , ut conspicuum in prælio
 Haberent signum , quod sequerentur milites ,
 Hæsere in portis , suntque capti ab hostibus.
 Quos immolatos victor , avidis dentibus ,
 Capacis alvi mersit tartareo specu.

¶ Quemcumque populum tristis eventus premit ,

Periclitatur magnitudo Principum:
Minuta plebes facili præsidio latet.

FABULA VI.

Stultus, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.

PHÆDRUS IN FABULARUM CENSORES.

Tu qui nasute scripta distringis mea,
Et hoc jocorum legere fastidis genus,
Parva libellum sustine patientia,
Severitatem frontis dum placó tuæ:
Et in cothurnis prodit Æsopus novis.

Utinam nec unquam Pelii nemoris jugo
Pinus bipenni concidisset Tessalà,
Nec, ad professæ mortis audacem viam
Fabricasset Argus opere Paladio ratem,
Inhospitalis prima quæ ponti sinu
Patefecit, perniciem Graiam & Barbarum!
Namque & superbi luget Ætæ domus,
Et regna Peliae scelere Medeæ jacent;
Quæ sævum ingenium variis involvens modis,
Ilic per artus fratri� explicuit fugam;
Hic cæde Patris Peliadum infécit manus.

Quid tibi videtur? Hoc quoque insulfum est;

ais,

Falsoque dictum, longè quia vetustior
Ægea Minos classe perdomuit freta,
Justoque vindicavit exemplo impetum.
Quid ergò possum facere tibi, lector Cato,
Si nec fabellæ te juvant, nec fabulæ?
Noli molestus esse omnino litteris,
Majorem exhibeant ne tibi molestiam.

Hoc illis dictum est, si qui stulti nauseant,
Et, ut potentur sapere, cœlum vituperant.

FABULA VII.

Maledico maledicens, pejus audiet.

VIPERA ET LIMA.

MORDACIOREM qui improbo dente adpetit,
Hoc argumento se describi sentiat.

¶ In officinam fabri venit Vipera.
Hæc cùm tentaret, si qua res esset cibi ;
Limam momordit : Illa contrà contumax ,
Quid me , inquit , stulta , dente captas lædere ;
Omne adsuévi ferrum quæ corrodere ?

FABULA VIII.

Improbi, ne pereant, perdunt.

VULPES ET HIRCUS.

HOMO in periculum simul ac venit callidus
Reperire effugium alterius quærít malo.

¶ Cùm decidisset Vulpes in puteum inscia ,
Et altiore clauderétur margine ;
Devénit Hircus sitiens in eundem locum :
Simul rogávit , esset an dulcis liquor ,
Et copiosus ? Illa fraudem moliens ,
Descende , amice : tanta bonitas est aquæ ,
Voluptas ut satiari non possit mea.
Immisiit se borbátus : tum Vulpecula
Evásit puteo , nixa celsis cornibus :
Hircumque clauso liquit hærentem vado.



FABULA IX.

Fallit quemque cœcus amor sui.

P E R A.

PERAS imposuit Jupiter nobis duas;
Propriis replétam vitiis post tergum dedit;
Aliénis ante pectus suspendit gravem.

¶ Hac re vidére nostra mala non possumus;
Alii simul delinquent, censores sumus.

FABULA X.

Antecedentem scelestum non deserit pede Pœna claudio.

F U R A R A M C O M P I L A N S.

LUCERNAM fur accedit ex arâ Jovis;
Ipsumque compilavit ad lumen suum;
Onustus qui sacrilegio cùm discederet,
Repente vocem sancta misit Religio:
Malorum quamvis ista fuerint munera,
Mihiq[ue] invisa, ut non offendar subripi;
Tamen, scelestus, spiritu culpam lues,
Olim cùm adscriptus venerit pœnæ dies.
Sed ne ignis noster facinori præluceat,
Per quem verendos excolit pietas Deos;
Veto esse tale luminis commercium.
Ita hodie nec lucernam de flammâ Deûm,
Nec de lucernâ fas est accendi sacrum.

¶ Quot res contineat hoc argumentum utiles;
Non explicavit aliis, quâm qui repperit.
Significat primò, sœpè quos ipse alueris,
Tibi inventri maximè contrarios.
Secundò ostendit, sclera, non irâ Deûm;
Fatôrum dicto sed puniri tempore.

Novissimè interdicit , ne cum malefico ,
Usum bonus consociet ullius rei.

FABULA XI.

Opes irritamenta malorum.

HERCULES ET PLUTUS.

OPES invisæ meritò sunt forti viro ,
Quia dives arca veram laudem intercipit ,
¶ Cœlo receptus propter virtutem Hercules ,
Cum gratulantes persalutasset Deos ,
Veniente Pluto , qui Fortunæ est filius ,
Avertit oculos . Causam quæsivit Pater :
Odi , inquit , illum ; quia malis amicus est ;
Simulque objecto cuncta corrumpit lucro .

FABULA XII.

Sinceritate nihil laudabilius.

LEO REGNANS.

UTILIUS homini nihil est quam recte loqui .
Probanda cunctis est quidem sententia ;
Sed ad perniciem solet agi sinceritas .

¶ Cum se ferarum Regem fecisset Leo ;
Et æquitatis vellet famam consequi ,
A pistinâ deflexit consuetudine :
Atque inter illas tenui contentus cibo ,
Sancta incorrupta jura reddébat fide . . .



FABULA XIII.

Pares non habitus, sed virtus facit.

CAPELLÆ ET HIRCI.

BARBARA Capellæ cùm impetrassent ab Jove;
Hirci mœrentes indignari cœpérunt,
Quòd dignitatèm fœminæ æquassent suam:
Sinite, inquit, illas gloriâ vanâ frui,
Et usurpâre vestri ornatum muneris,
Pares dùm non sint vestræ fortitudinis.

¶ Hoc argumentum monet ut sustineas tibi
Habitu esse similes, qui sint virtute imparés.

FABULA XIV.

In secundis time, in adversis spera.

GUBERNATOR ET NAUTÆ.

CUM de fortúnis quidam quærerétur suis,
Æsopus finxit consolandi gratiâ.

¶ Vexáta sœvis nave tempestatibus
Inter vectórum lacrymas & mortis metum,
Faciem ad serénam, subito mutátur dies.
Ferri secundis tuta cœpit flatibus,
Nimiaque Nautas hilaritaté extollere;
Factus periculò tum Gubernátor sophus:
Parcè gaudére oportet & sensim queri;
Totam quia vitam miscet dolor & gaudium!



FABULA X V.

Nimia verecundia inverecundum facit.

CANUM LEGATI AD JOVEM.

CANES Legatos olim misere ad Jovem,
 Melioris vitæ tempus oratum suæ,
 Ut se se eriperent hominum contumeliis,
 Furfuribus sibi conspersum quod panem darent;
 Fimoque turpi maximam explerent famem.
 Profecti sunt Legati non sceleri pede,
 Dum naribus scrutantur escam in stercore.
 Citati non respondent: vix tandem invenit
 Eos Mercurius; & turbatos adtrahit.
 Tum verò vultum magni ut vidérunt Jovis;
 Totam timentes concacarunt regiam:
 Propulsi verò fustibus, vadunt foras.
 Verat dimitti magnus illos Jupiter.
 Mirati sibi Legatos non reverti,
 Turpe aestimantes aliquid commissum à suis;
 Post aliquod tempus alios adscribi jubent.
 Rumor Legatos superiores prodidit:
 Timentes rursus aliquid ne simile accidat,
 Odore Canibus anum sed multo replet:
 Mandata dant, Legati mittuntur: statim
 Adeunt rogantes aditum: continuo impetrant.
 Confedit genitor tum Deorum maximus,
 Quassatque fulmen: tremere cepere omnia:
 Canes, confusus subito quod fuerat fragor,
 Repente odorem mixtum cum merdis cacant,
 Reclamant omnes vindicandam injuriam;
 Sic est locutus ante pœnam Jupiter:
 Non est Legatos Regis non dimittere,
 Nec est difficile pœnas culpæ imponere.
 Non vero dimitti: verum cruciari fame,

F A B U L A E , L I B . I V . 51

Ne ventrem continere non possint suum ,
Sed hoc feretis pro judicio præmium.
Illi autem qui miserunt vos tam fuitiles ,
Nunquam carébunt hominis contumeliâ.
Ita nunc Legatos expectant & posteri ;
Novumque venire qui videt culum olfacit.

F A B U L A X V I .

Malo qui benefacit , pejorem facit.

H O M O E T C O L U B R A .

Q u i fert malis auxilium , post tempus dolet.
¶ Gelu rigentem quidam Colubram sustulit ,
Sinuque fovit , contra se ipse misericors ;
Namque ut refecta est , necuit hominem protinus .
Hanc alia cum rogaret causam facinoris ,
Respondit . Ne quis discat prodeesse improbis .

F A B U L A X V I I .

Avárus auri custos , non dominus.

V U L P E S E T D R A C O .

V ULPES cubile fodiens , dum terram eruit ,
Agitque plures altius cuniculos ,
Pervenit ad Draconis speluncam ultimam ,
Custodiébat qui thesauros abditos .
Hunc simul aspexit : Oro ut imprudentiae
Des primū veniam : deinde si pulchrè vides
Quam non conveniens aurum fat vitæ meæ ,
Respondeas clementer ; quem fructum capis
Hoc ex labore , quodve tantum est præmium ,
Ut careas somno , & ævum in tenebris exigas ?
Nullum , inquit ille : verum hoc à summo mili
Joyc attributum est . Ergo nec sumis tibi ,

Eij

Nec ulli donas quicquam? Sic fatis placet.
Nolo irascaris, liberè si dixero:
Diis est iratis natus, qui est similis tibi.

¶ Abiturus illuc, quo priores abiérunt,
Quid mente cæcā miserum torques spiritum?
Tibi dico, avare, gaudium hæredis tui?
Qui thure Superos, ipsum te fraudas cibo:
Qui tristis audis musicum citharæ sonum;
Quem tibiárum macerat jucunditas;
Opsoniorum prætia cui gemitum exprimunt;
Qui dum quadrantes aggeras patrimonio,
Cœlum fatigas sordido perjurio;
Qui circumcidis omnem impensam funeris,
Libilitina ne quid de tuo faciat lucrum.

FABULA XVIII.

Inventa perficere non inglorium.

PHÆDRUS DE FABULIS.

QUID judicare cogitet livor modò,
Licet dissimulet, pulchrè tamen intelligo:
Quicquid putabit esse dignum memoriæ,
Æsopi dicet: si quid minus adriserit,
A me contendet fictum quovis pignore.
Quem volo refelli jam nunc responso meo:
Sive hoc ineptum, sive laudandum est opus,
Invénit ille, nostra perfécit manus.
Sed exequámur cœptum propositi ordinem.

FABULA XIX.

Veras divitias eripit nemo.

NAUFRAGIUM SIMONIDIS

HOMO doctus in se semper divitias habet.
¶ Simonides, qui scripsit egregium melos,

Quò paupertatē sustinéret facilius,
Circumire cœpit urbes Asiæ nobiles.
Mercéde accepta laudem victorum canens.
Hoc genere quæstus postquam locuples factus est,
Venire in patriam voluit, cursu pelagio,
(Erat autem natus, ut aiunt, in Ceo insula.)
Ascendit navim, quam tempestas horrida
Simul & vetustas medio dissolvit mari.
Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,
Subsidium vitæ. Quidam curiosior:
Simonide, tu ex opibus nihil sumis tuis?
Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tunc paucū
enatant,
Quia plures onere degravati perierant.
Prædones adsunt; rapiunt quod quisque extulit;
Nudos relinquunt. Fortè Clazomenæ propè,
Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
Hic litterarum quidam studio deditus,
Simonidis qui sæpè versus legerat,
Eratque absentis admirator maximus;
Sermone ab ipso cognitum, cupidissime
Ad se recépit, veste, nummis, familiâ,
Hominem exornavit. Cæteri tabulam suam
Portant, rogantes victum, quos casu obvius;
Simonides ut vidit: dixi, inquit, mea
Mecum esse cuncta, quod rapuistis, perit.

FABULA XX.

Magna ne jaclès, sed præstes.

MONS PARTURIENS.

MONS parturibat, gemitus immânes ciens.
Eratque in terris maxima expectatio:
At ille murem peperit. Hoc scriptum est tibi
Qui magna cum minaris, extricas nihil.
E iiiij

FABULA XXI.

Vera gloria fidam obscurat.

FORMICA ET MUSCA.

FORMICA & Musca contendebant acriter ;
 Quæ pluris esset. Musca sic cœpit prior :
 Conferre nostris tu potes te laudibus ?
 Ubi immolatur , exta prægusto Deum ;
 Moror inter aras : Templa perlustro omnia ;
 In capite Regis sedeo ; cum visum est mihi ,
 Et matronarum casta delibo oscula :
 Laboro nihil , atque optimis rebus fruor.
 Quid horum simile tibi contingit , rustica ?
 Est gloriōsus sanè convictus Deum ,
 Sed illi qui invitatur , non qui invitus est ;
 Reges commemoras , & matronarum oscula ;
 Ego granum in hyemem cum studiōsè congero ;
 Te circā murum video pasci stercore ;
 Aras frequentas , nempè abigeris quò venis ,
 Nihil laboras , ideo , cum opus est , nihil habes ;
 Æstare me lacefis ; cum bruma est files :
 Mori contractam cum te cogunt frigora ,
 Me copiosa recipit incolumem domus ;
 Satis profectò retudi superbiam.

¶ Fabella talis hominum discernit notas
 Eorum , qui se falsis ornant laudibus ,
 Et quorum virtus exhibet solidum decus.

FABULA XXII.

Deum colenti stat sua merces.

SIMONIDES A DIIS SERVATUS.

QUANTUM valerent inter homines litteræ ,
 Dixi supérius ; quantus nunc illis honor

A Superis sit tributus , tradam memoriæ.

¶ Simonides idem ille de quo retuli ,
Viatoris laudem cuidam Pythagoræ ut scriberet ;
Certo condixit pretio , secrétum petit :
Exigua cum frænaret materia impetum ,
Usus Poëtæ , ut moris est , licentiâ ,
Atque interposuit gentina Lædæ sidera :
Auctoritatem similis referens gloriæ.

Opus approbavit : sed mercédis tertiam
Accépit partem. Cùm reliquam posceret :
Illi , inquit , reddent quorum sunt laudes duæ ,
Verùm ne iratè dimissum te sentiam ,
Ad cœnam mihi promitte ; cognátos volo
Hodiè invitare , quorum es in numero mihi.
Fraudatus quamvis & dolens injuriâ ,
Ne malè dimissam gratiam corrumperet ,
Promisit ; rediit horâ dictâ ; recubuit.
Splendébat hilare poculis convivium ,
Magno apparatu læta resonabat domus ;
Repentè cùm duo juvenes , sparsi pulvere ,
Sudore multo diffluentes corpora ,
Humánam supra formam , cuidam servulo
Mandant , ut ad se provocet Simonidem ,
Illius interesse ne faciat moram .
Homo perturbátus excitat Simonidem .
Unum promôrat vix pedem triclinio ,
Ruina caméræ subito oppressit cæteros :
Nec illi juvenes sunt reperti ad januam .
Ut est vulgatus ordo patratæ rei ,
Omnes scierunt , Numinum præsentiam .
Vati dedisse vitam , mercédis loco .

FABULA XXIII.

Bis dat, qui citò dat.

EPILOGUS AD EUTICHUM.

SUPERSUNT mihi quæ scribam: sed parco sciens:
 Primum, esse tibi ne videar molestior,
 Destrigit quem multarum rerum varietas:
 Dein si quis eadem fortè conari velit,
 Habere ut possit aliquid operis residui,
 Quamvis materiæ tanta abundet copia,
 Labori faber ut desit, non fabro labor.
 Brevitatis nostræ præmium ut reddas, peto;
 Quod es pollicitus. Exhibe vocis fidem;
 Nam vita morti propior est quotidiè;
 Et hoc minus veniet ad me muneris,
 Quò plus consumet temporis dilatio.
 Si citò rem perages, usus fiet longior;
 (Fruar diutius, si celerius cepero.)
 Languentis ævi dum sunt aliquæ reliquiæ;
 Auxilio locus est: olim senio debilem
 Frustra adjuvare bonitas nitetur tua,
 Cùm jam desierit esse beneficium utile,
 Et mors vicina flagitabit debitum.
 Stultum admovere tibi preces existima;
 Proclivis ultrò cùm sit misericordia.
 Sæpè impetravit veniam confessus reus;
 Quanto innocentij justius debet dari?
 Tuæ priùs sunt partes, aliorum dein,
 Similique gyro venient aliorum vices.
 Decerne quod religio, quod patitur fides:
 Et gratulári me fac judicio tuo.

Excédit animus quem proposuit terminum,
 Sed difficulter continetur spiritus,
 Integritatis qui sinceræ conscius,

A noxiórum premitur insolentiis.
 Qui sint requires? Apparébunt tempore.
 Ego quondam legi quam puer sententiam,
 (Palam mutare plebeio periculum est.)
 Dùm sanitas constábit, pulchrè meminero.

P H E D R I

F A B U L A R U M
L I B E R Q U I N T U S.

PROLOGUS AD PARTICULONEM

CUM destinásse in terminum operi statuere,
 In hoc ut aliis esset materiæ satis,
 Consilium tacito corde damnávi meum.
 Nam si quis etiam talis est tituli artifex,
 Quo pacto devinábit quidnam omiserim,
 Ut illud ipsum cupiat famæ tradere?
 Sua cuique cùm sit animi cogitatio,
 Colorque proprius? Ergò non levitas mihi,
 Sed certa ratio causam scribendi dedit.

Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis,
 Quas Æsopéas, non Æsópi, nomino,
 Quasi paucas ostenderit: ego plures dissero:
 Usus vetusto genere, sed rebus novis.
 Quartum libellum dùm vacivè perleges,
 Hunc obtrectare si volet malignitas:
 Imitári dùm non possit, obtrectet, licet.

Mihi parta laus est , quòd tu , quòd similes tui
 Vestras in chartas verba transfertis mea ,
 Dignumque longâ judicatis memorâ :
 In litterârum ire plausum desidero.

F A B U L A P R I M A.

Nihil ad honorem famâ ingenii aptius.

D E M E T R I U S E T M E N A N D E R.

AEsopi nomen sicubi interposuero ,
 Cui reddidi jam pridem , quidquid debui ,
 Auctoritatis esse scito gratiâ :
 Ut quidam artifices nostro faciunt sæculo ;
 Qui pretium operibus majus inveniunt , novo
 Si marmori adscripsérunt Praxitelem suo
 Myrónem argento. Plus vetustâti nam favet
 Invidia mordax , quam bonis præsentibus.
 Sed jam ad fabellam talis exempli feror.

Demetrius , qui dictus est Phalereus ,
 Athénas occupávit imperio improbo .
 Ut mos est vulgi , passim & certâtim ruunt :
 Feliciter subclâmant. Ipsi principes
 Illam osculantur , quâ sunt oppressi , manum ,
 Tacitè gementes tristem fortunæ vicem .
 Quin etiam resides & sequentes otium ,
 Ne defuissè noceat , reptant ultimi ,
 In quæis Menander , nobilis comoediis ,
 Quas ipsum ignórans , legerat Demetrius ,
 Et admirátus fuerat ingenium viri ,
 Unguento delibûtus , vestitu adfluens ,
 Veniebat gressu delicato & languido .
 Hunc ubi tyrannus vidit extrémo agmine :
 Effeminatus quid hic in conspectu meo
 Audet venire ? Respondérunt proximi :
 Hic est Menander scriptor. Mutátus statim ,
 Compellat hominem blandè , dextramque arripit .

FABULA II.

Ventosa lingua, pedes fugaces.

VIATORES ET LATRO.

VIAM expediti pariter carpabant duo;
Imbellis alter; alter at promptus manu.
Occurrit illis Latro, & intentans necem,
Aurum poposcit. Audax, confestim irruens,
Vim vi repellit, ac ferro incautum occupat,
Et vindicavit se se forti dexterâ.
Latrone occiso, timidus occurrit comes,
Stringitque gladium; dein, rejectâ penulâ:
Cedo, inquit, illum? Jam curabo sentiat
Quos attentârit. Tunc qui depugnaverat:
Vellem istis verbis faltem adjuvisses modo,
Constantior fuisse, vera existimans.
Nunc conde ferrum, & linguam pariter futilem,
Ut possis alios ignorantes fallere:
Ego, qui sum expertus quantis fugias viribus,
Scio quod virtuti sit credendum tuæ.
¶ Illi adsignari debet hæc narratio,
Qui secundâ fortis est, dubiâ fugax.

FABULA III.

Sponie peccanti, nullus est venia locns.

CALVUS ET MUSCA.

CALVI momordit Musca nudatum caput;
Quam opprimere captans, alapam sibi duxit
gravem:
Tunc illa irridens: Punctum volucris parvulae
Voluisti morte ulcisci: quid facies tibi,
Injuriæ qui addideris contumeliam?

Respondit : Mecum facile redeo in gratiam ;
 Quia non fuisse mentem lœdendi scio :
 Sed te , contempti generis animal improbum ,
 Quæ delectaris bibere humánum sanguinem ,
 Optem necare , vel majore incommodo .

¶ Hoc argumentum veniam ei dari docet ,
 Qui casu peccat ; nam qui consilio est nocens ,
 Illum esse quâvis poenâ dignum judico .

F A B U L A I V.

Feliciter sapit , qui alieno periculo sapit.

H O M O E T A S I N U S.

QUIDAM immolasset verrem cum sancto Her-
 culi ,

Cui pro salûte votum debébat suâ ,
 Asello jussit reliquias poni hordei .
 Quas aspernátus ille , sic locútus est :
 Tuum libenter prorsùs ad peterem cibum ,
 Nisi qui nutritus illo est , jugulátus foret .

¶ Hujus respectu fabulæ deterritus ,
 Periculósum semper vitávi lucrum .
 Sed dicis : Qui rapuère divitias , habent .
 Numerémus agedum , qui depensi perierint :
 Majórem turbam punitórum reperies .
 Paucis temeritas est bono , multis malo .

F A B U L A V.

Præjudicata opinio judicium obruit.

S C U R R A E T R U S T I C U S.

PRAVO favore labi mortáles solent
 Et pro iudicio dùm stant erroris sui ,
 Ad pœnitendum rebus manifestis agi .

¶ Facturus

¶ Facturus ludos quidam dives nobilis,
 Proposito cunctos invitavit præmio;
 Quam quisque posset, ut novitatem ostenderet.
 Venere artifices laudis ad certamina,
 Quos inter Scurra, notus urbano sale,
 Habere dixit se genus spectaculi,
 Quod in theatro nunquam prolatum foret.
 Dispersus rumor cavitatem concitat:
 Paulò antè vacua turbam deficiunt loca.
 In scenâ verò postquam solus constituit,
 Sine apparatu, nullis adjutoribus,
 Silentium ipsa fecit expectatio.
 Ille in sinum repente demisit caput,
 Et sic porcelli vocem est imitatus suâ;
 Verum ut subesse pallio contenderent;
 Et exuti jubèrent: quo facto, simul
 Nihil est repertum, multis onerant laudibus;
 Hominemque plausu prosequuntur maximo.
 Hoc vidit fieri Rusticus: Non me hercule
 Me vincet, inquit: & statim professus est,
 Idem facturum melius se postridie.
 Fit turba major. Jam favor mentes tenet;
 Et derisuri, non spectatûri, sedent.
 Uterque prodit. Scurra digrunxit prior.
 Movetque plausus, & clamores suscitat.
 Tunc simulans sese vestimentis Rusticus
 Porcellum obtegere, quod faciébat scilicet;
 Sed in priore quia nil compérerant, latens,
 Pervellit aurem vero quem celaverat,
 Et cum dolore vocem natûræ exprimit.
 Adclamat populus Scurram multò similius
 Imitatum, & cogit Rusticum trudi foras.
 At ille profert ipsum porcellum è sinu,
 Turpemque aperto pignore errorem exprobrans:
 En, hic declarat, quales sitis judices.

FABULA VI.

Non omnia omnibus congruunt.

DUO CALVI.

IN VENIT Calvus fortè in trivio pectinem :
 Accessit alter æquè defectus pilis.
 Hei, inquit, in commune quodcumque est lucri.
 Ostendit ille prædam , & adjécit simul :
 Superum voluntas favit , sed fato invido ,
 Carbónem , ut aiunt , pro thesauro invenimus.
 Quem spes delúsit , huic querela convenit.

FABULA VII.

Stulta superbia ridétur ab omnibus.

PRINCEPS TIBICEN.

UBI vanus animus , aurâ captus frivolâ ,
 Arripuit insolentem sibi fiduciam ,
 Facile ad derisum stulta levitas ducitur.

¶ Princeps Tibicen notior paulò fuit
 Operam Bathyllo solitus in scenâ dare.
 Is forte ludis (non satis memini quibus)
 Dùm pegma rapitur , concidit casu gravi ,
 Nec opinans , & sinistram fregit tibiam ,
 Duas cùm dextras maluisset perdere.
 Inter manus sublatus , & multum gemens
 Domum refertur. Aliquot menses transeunt
 Ad sanitatem dùm venit curatio.
 Ut spectatorum mos est , & lepidum genus ,
 Desiderari cœpit , cuius flatibus
 Solébat excitari saltantis vigor.
 Erat facturus ludos quidam Nobilis ,
 Et incipiébat Princeps ingredi : eum

Addúcit pretio , precibus , ut tantummodo
 Ipso ludorum ostenderet sese die.
 Qui simul advénit , rumor de Tibicíne
 Fremit in Theatro : Quidam affirmant mortuum ;
 Quidam in conspectum prodíjúrum sine morâ ,
 Aulæo missò , devolútis tonitribus ,
 Dii sunt locuti more translatatio.
 Chorës tunc ; ignotum reducto , canticum
 Imposuit , cujus hæc fuit sententia :
Lætare incolumis Roma , salvo Principe.
 In plausus consurrectum est , jaētat basia
 Tibicen , gratulári fautóres putat.
 Equeſter Ordo stultum errorem intelligit ,
 Magnoque riſu canticum repeti jubet.
 Iterátur illud : homo meus se in pulpito
 Totum prosternit. Plaudit illudens Eques ;
 Rogáre populus hunc corónam existimat.
 Ut verò cuneis notuit res omnibus ,
 Princeps ligáto crure niveâ fascia ,
 Niveisque tunicis , niveis etiam calceis ,
 Superbiens honore divinæ domûs ,
 Ab universis capite est protrúsus foras.

F A B U L A V I I I .

Fugit irreparabile Tempus.

O C C A S I O D E P I C T A .

CURSU volucri pendent in novacula ,
 Calvus , comósâ fronte , nudo corpore ,
 Quem si occupâris , teneas ; elapsum semel
 Non ipse possit Jupiter reprehendere :
 Occasionem rerum significat brevem .

¶ Effectus impediret né segnis mora ,
 Finxere Antiqui tales effigiem temporis .

FABULA. IX.

Ne sus Minervam.

TAURUS ET VITULUS.

ANGUSTO in aditu Taurus luctans cornibus,
Cum vix intrare posset ad præsepio,
Monstrabat Vitulus quo se pacto plecteret:
Tace, inquit, ante hoc novi, quām tu natus es.
¶ Qui doctiōrem emendat, sibi dici putet.

FABULA X.

Omnia fert ætas.

VENATOR ET CANIS.

ADVERSUS omnes fortis velóces feras;
Canis cùm domino semper fecisset satis,
Languere cœpit annis ingravantibus.
Aliquandò objectus hispidi pugnæ Suis,
Arripuit aurem; sed cariosis dentibus,
Prædam dimisit. Hic tūm venator dolens,
Canem objurgábat; cui senex contrà latrāns:
Non me destituit animus, sed vires meæ;
Quod suimus laudas, dum damnas quod non
sumus.

¶ Hoc cur, Philéte, scripserim, pulchrè vides.

FABULA XI.

Ex ipso Bove lora sumuntur.

DE SECURI ET MANUBRIO.

PEREUNT suis auxilium qui dant hostibus.
¶ Faetâ secúri, quidam ab Arboribus petit,

F A B U L A E , L I B . V . 65

Darent manubrium è ligno , quod firmum foret ;
Subito jussérunt omnes oleastrum dari.
Accipit munus , factumque aptans manubrium ,
Cœpit secúri magna excidere robora.
Hic dūm truncanda eligeret , Fraxino
Dixisse fertur Quercus : Meritò cædimur.

F A B U L A X I I .

Malo accepto stultus sapit.

M I L V I U S Æ G R O T A N S .

M U L T O S cùm menses ægrotasset Milvius ,
Nec jam vidéret esse vitæ spem suæ ,
Matrem rogábat , sancta circumiret loca ,
Et pro salute vota faceret maxima .
Faciam , inquit , fili ; sed opem ne non imperrem
Vehementer vereor : nam qui delubra omnia
Vastando , cuncta polluisti altaria ,
Sacrificiis nullis parcens , nunc quid vis rogem ?

F A B U L A X I I I .

Qui metuens vivit , miser est.

L E P O R E S E T R A N Z E .

Q U I sustinére non potest suum malum ,
Alios inspiciat , & discat tolerantiam .

¶ Aliquandò in sylvis strepitu magno conciti ,
Lepores clamant , se propter assiduos metus
Finire velle vitam . Sic quemdam ad lacum
Venérunt , miseri quò se præcipites darent .
Adventu quorum postquam Ranæ territæ ,
Virides in algas miseræ fugientes ruunt :
Heu ! inquit unus , sunt & alii quos timeret
Vexat malorum . Ferte vitam ut cæteri ,

FABULA XIV.

Simia semper est Simia.

VULPES IN FEMINAM MUTATA.

NATURAM turpem nulla fortuna obtegit.
¶ Humana in speciem cum vertisset Jupiter
Vulpem, Regali mulier ut sedet Throno,
Scarabeum prorepentem ex angulo;
Notamque ad praedam celeri prosiluit gradus
Superi risere; magnus erubuit Pater,
Repudiata turpemque uxorem expulit,
His prosecutus: Vive quo digna es modo;
Quae nostris uti meritis dignè non potes.

FABULA XV.

Etiam capillus unus habet umbram suam.

LEO ET MUS.

Ne quis minores laedat, Fabula haec monet;
¶ Leone in sylva dormiente, rustici
Luxuriabant Mures, & unus ex iis
Super cubantem casu quodam transiit:
Expergefactus miserum Leo celeri impetu
Arripuit: ille veniam sibi dari rogat,
Supplex fatetur peccatum imprudentiae.
Hoc Rex ulcisci gloriōsum non putans,
Ignovit, & dimisit. Post paucos dies
Leo dum vagatur noctu, in foveam decidit;
Captum ut se agnovidit laqueis, voce maximâ
Rugire coepit: cuius imitānem ad sonum
Mus subito accurrens: non est quod timeas, ait;
Beneficio magno gratiam reddam parem.
Mox omnes artus, artuum & ligamina

Lustrare cœpit , cognitosque dentibus
Nervos rodendo laxat ingenia artuum.
Sic captum Mus Leónem sylvis reddidit.

F A B U L A X V I.

Scribendi nullus est finis.

EPILOGUS AD PARTICULONEM.

A D H U C supersunt multa quæ possim loqui ;
Et copiosa abundat rerum varietas ;
Sed temperatæ suaves sunt argutiæ ,
Immodicæ offendunt. Quare , vir sanctissime ,
Particulo , chartis nomen victurum meis ,
Latinis dum manebit pretium litteris ,
Si non ingenium , certè brevitatem approba ;
Quæ commendari , tantò debet justius ,
Quantò Poëtæ sunt molesti validius

F I N I S.

A P P E N D I X
PHÆDRI FABULARUM.

LIBER PRIMUS.

P ROLOGUS,	pag. 3.
Fabula prima. <i>Lupus & Agnus</i> ,	ibid.
Fabula II. <i>Ranæ Regem postulantes</i> ,	4.
Fabula III. <i>Graculus superbus</i> ,	5.
Fabula IV. <i>Canis natans</i> ,	6.
Fabula V. <i>Vacca, Capella, Ovis & Leo</i> ,	ibid.
Fabula VI. <i>Ranæ ad Solem</i> ,	7.
Fabula VII. <i>Vulpes ad personam iradicam</i> :	ibid.
Fabula VIII. <i>Lupus & Grus</i> ,	ibid.
Fabula IX. <i>Passer & Lepus</i> ,	8.
Fabula X. <i>Lupus & Vulpes, Judice Simio</i> ,	ibid.
Fabula XI. <i>Afinus & Leo venantes</i> ,	9.
Fabula XII. <i>Cervus cornibus impeditus</i> ,	ibid.
Fabula XIII. <i>Vulpes & Corvus</i> ,	10.
Fabula XIV. <i>Ex Sutore Medicus</i> ,	ibid.
Fabula XV. <i>Afinus egregiè cordatus</i> ,	11.
Fabula XVI. <i>Cervus & Ovis</i> ,	ibid.
Fabula XVII. <i>Ovis, Canis & Lupus</i> ,	12.
Fabula XVIII. <i>Canis parturiens</i> ,	ibid.
Fabula XIX. <i>Canes famelici</i>	13.
Fabula XX. <i>Leo senio confectus</i> ,	ibid.
Fabula XXI. <i>Mustela & Homo</i> ,	ibid.
Fabula XXII. <i>Canis fidélis</i> ,	14.
Fabula XXIII. <i>Rana rupia</i> ,	ibid.

Fabula XXIV. <i>Canis & Crocodilus</i> ,	15.
Fabula XXV. <i>Vulpes & Ciconia</i> ,	ibid.
Fabula XXVI. <i>Canis, Thesaurus & Vulturius</i> ,	16.
Fabula XXVII. <i>Vulpes & Aquila</i> ,	ibid.
Fabula XXVIII. <i>Mus & Elephantius</i> ,	17.
Fabula XXIX. <i>Rana prudens</i> ,	ibid.
Fabula XXX. <i>Milvius & Columbo</i> ,	18.

L I B E R S E C U N D U S.

P ROLOGUS,	19.
Fabula prima. <i>Leo & Prædator</i> ,	ibid.
Fabula II. <i>Repente calvus</i> ,	20.
Fabula III. <i>Homo & Canis</i> ,	ibid.
Fabula IV. <i>Aquila, Felis & Aper</i> ,	21.
Fabula V. <i>Cæsar ad Atriensem</i> ,	22.
Fabula VI. <i>Aquila, Cornix & Testudo</i> ,	23.
Fabula VII. <i>Muli & Latrones</i> .	ibid.
Fabula VIII. <i>Cervus & Boves</i> ,	24.
Fabula IX. <i>Epilogus. Invidia virtutum comes</i> ,	25.

L I B E R T E R T I U S.

P HÆDRUS ad Eutichum,	pag. 26.
Fabula prima. <i>Anus ad Amphoram</i> ,	28.
Fabula II. <i>Panthera & Pastores</i> ,	ibid.
Fabula III. <i>Æsopus & Rusticus</i> ,	29.
Fabula IV. <i>Simii caput</i> ,	30.
Fabula V. <i>Æsopus & Petulans</i> ,	ibid.
Fabula VI. <i>Musca & Mula</i> ,	ibid.
Fabula VII. <i>Canis & Lupus</i> ,	31.
Fabula VIII. <i>Frater & Soror</i> ,	32.
Fabula IX. <i>Socratis dictum</i> ,	ibid.

Fabula X.	<i>Res gesta sub Augusto,</i>	33.
Fabula XI.	<i>Claudus ad improbum,</i>	35.
Fabula XII.	<i>Margarita in sterquilinio,</i>	ibid.
Fabula XIII.	<i>Apes & Fuci, Vespá Judice,</i>	ibid.
Fabula XIV.	<i>Æsopus ludens nucibus,</i>	36.
Fabula XV.	<i>Agnus à Capella nutritus,</i>	37.
Fabula XVI.	<i>Cicada & Noctua,</i>	ibid.
Fabula XVII.	<i>Arbores in Deorum tutela,</i>	38.
Fabula XVIII.	<i>Pavo ad Junónem,</i>	39.
Fabula XIX.	<i>Æsopus ad Garrulum,</i>	ibid.
Fabula XX.	<i>Afinus & Galli,</i>	40.

LIBER QUARTUS.

P ROLOGUS,		pag. 41.
Fabula prima.	<i>Mustela & Mures,</i>	ibid.
Fabula II.	<i>Vulpes & Uva,</i>	42.
Fabula III.	<i>Equus & Aper,</i>	ibid.
Fabula IV.	<i>Æsopus, interpres testamenti,</i>	43.
Fabula V.	<i>Pugna Murium & Mustelarum,</i>	44.
Fabula VI.	<i>Phædrus in Fabularum Censores,</i>	45.
Fabula VII.	<i>Vipera & Lima,</i>	46.
Fabula VIII.	<i>Vulpes & Hircus,</i>	ibid.
Fabula IX.	<i>Pera,</i>	47.
Fabula X.	<i>Fur Aram compilans,</i>	ibid.
Fabula XI.	<i>Hercules & Plutus,</i>	48.
Fabula XII.	<i>Leo regnans,</i>	ibid.
Fabula XIII.	<i>Capellæ & Hirci,</i>	49.
Fabula XIV.	<i>Gubernátor & Nautæ,</i>	ibid.
Fabula XV.	<i>Canum Legati ad Jovem,</i>	50.
Fabula XVI.	<i>Homo & Colubra,</i>	51.
Fabula XVII.	<i>Vulpes & Draco.</i>	ibid.
Fabula XVIII.	<i>Phædrus de Fabulis,</i>	52.
Fabula XIX.	<i>Naufragium Simonidis,</i>	ibid.

Fabula XX.	<i>Mons parturiens</i> ;	53.
Fabula XXI.	<i>Formica & Musca</i> ;	54.
Fabula XXII.	<i>Simonides à Diis servátus</i> ,	ibid.
Fabula XXIII.	<i>Epilogus ad Euthicum</i> ,	56.

LIBER QUINTUS.

PROLOGUS	ad Particulónem ,	pag. 57.
Fabula prima.	<i>Demetrius & Menander</i> ,	58.
Fabula II.	<i>Viatóres & Latro</i> ,	59.
Fabula III.	<i>Calvus & Musca</i> ,	ibid.
Fabula IV.	<i>Homo & Asinus</i> ,	60.
Fabula V.	<i>Scurra & Rusticus</i> ,	ibid.
Fabula VI.	<i>Duo Calvi</i> ,	62.
Fabula VII.	<i>Princeps Tibícen</i> ,	ibid.
Fabula VIII.	<i>Occasio depiða</i> ,	63.
Fabula IX.	<i>Taurus & Vitulus</i> ,	64.
Fabula X.	<i>Venator & Canis</i> ,	ibid.
Fabula XI.	<i>De Securi & Manubrio</i> ,	ibid.
Fabula XII.	<i>Milvius cegrótans</i> ,	65.
Fabula XIII.	<i>Lepores & Ranæ</i> ,	ibid.
Fabula XIV.	<i>Vulpes in Fœminam mutata</i> ,	66.
Fabula XV.	<i>Leo & Mus</i> ,	ibid.
Fabula XVI.	<i>Epilogus ad Particulonem</i> ,	67.

FINIS.



PERMISSION SIMPLE.

JEAN-JACQUES DE VIDAUD, MARQUIS
DE VELLERON, Comte de la Batie & Mognenins,
Seigneur de Fargues, Cairanne, Bivier, la Maison-
forte de Montbives, & autres Places, Conseiller d'Etat
& au Conseil Privé, Directeur général de la Librairie,
& Docteur d'Honneur de la Faculté de Droit.

VU l'article VII de l'Arrêt du Conseil du 30 Août 1777, portant règlement pour la durée des Privileges en Librairie, en vertu des pouvoirs à Nous donnés par ledit Arrêt: Nous permettons au Sieur JOSEPH ROBERT ainé, Libraire à Toulouse, de faire faire une édition de l'Ouvrage qui a pour titre : *Phædri Augusti Cæsaris Liberti Fabularum, Libri quinque, ad usum Collegiorum*, laquelle édition sera tirée à deux mille exemplaires en un volume, format *in-12*, & sera finie dans le délai de six mois, à la charge par ledit Sieur d'avertir ledit Inspecteur du jour où l'on commencera l'impression dudit Ouvrage, au desir de l'article XXI de l'Arrêt du Conseil du 30 Août 1777, portant suppression & création de différentes Chambres Syndicales; de faire ladite édition absolument conforme à celle de Toulouse; d'en remettre, conformément à l'Arrêt du Conseil du 16 Avril 1785, neuf exemplaires aux mains des Officiers de la Chambre Syndicale de Toulouse; d'imprimer la présente Permission à la fin du Livre, & de la faire enregistrer dans deux mois, pour tout délai, sur les registres de ladite Chambre Syndicale de Toulouse; le tout à peine de nullité.

DONNÉ à Paris, le 20 Décembre 1786. VIDAUD.

Par Monseigneur, DUMIRAIL.

Enregistrée sur le Livre des Permissions simples, No. 134;
pag. 19, ce 29 Décembre 1786. PIJON, Syndic.



11
12
13

14

15

16

17





